

faciendi, dicendi, gerendi, & exequendi, plenam, & amplam facultatem apostolica auctoritate, tenore presentium concedimus, & impertimur.

Derogat oblationibus.

§.4. Non obstantibus quatenus opus sit se. re. Bonifacii Papae VIII. Praedecessoris nostri de una, & Concilii Generalis de duabus dietis, aliisque apostolicis, ac in Conciliis Universalibus, Provincialibusque, & Synodalibus editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, ac dictorum Regnorum etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & Indultis, & Literis Apostolicis, in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores presentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum die 16. Decemb. 1641. An. XIX.

Datum Romae apud S. Petrum sub Anulo Piscatoris die 16. Decembris 1641. Pontificatus nostri Anno XIX.

DCXC.

Ex Regest. in Secret. Breu.

Facultas Vicecollectori in Portugallia absolvendi illos, quorum iussu, opera, & consilio nonnullae personae ecclesiasticae carceribus mancipatae fuerant.

Dilecto filio Hieronymo Bataglinio iurium, & spoliarum Camerae Apostolicae in Portugalliae, & Algarbiorum Regnis debitorum Vicecollectori.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Dilecte fili salutem, & apostolicam benedictionem.

Refert Ministros S. A. a lae. eis carceri fuisse se mancipatos.

§.1. Cum non sine gravi animi nostri molestia Nobis innouit in istis Regnis Portugalliae, & Algarbiorum fuisse praetextu assertorum excessuum, seu delictorum gravium carceratos, aut alias detentos auctoritate laicali Ven. Fratrem Archiepiscopum Bracharen., ac Inquisitorem majorem in istis Regnis, Commissariumque Sanctae Cruciae, qui sunt nostri, & Apostolicae Sedis Officiales, aliasque personas ecclesiasticas, inter quas aliqua in dignitate ecclesiastica, etiam episcopali sunt constituta, quarum causarum cognitio iuxta Sacros Canones, Sacraque Concilia universalia ad Nos spectat.

Vice Collectori spoliarum facultate tribuit eos a censuris absolvendi.

§.2. Hinc est, quod Nos illorum, quorum iussu, & facto, Archiepiscopus, ac Inquisitor, & Commissarius, aliaeque personae ecclesiasticae praedictae carceribus mancipati fuerunt, seu detinentur, animarum saluti pro paterna nostra charitate consulere volentes, tibi omnes, & singu-

los, quorum iussu, auctoritate, facto, consilio, auxilio, ope, & opera, dicti Archiepiscopus, Inquisitor, & Commissarius, aliaeque personae ecclesiasticae praedictae capti, carcerati, & detenti fuerunt, & sunt, si absolutionem a Te humiliter petierint, ac si, & postquam ipsi Archiepiscopus, Inquisitor, Commissarius, aliaeque personae ecclesiasticae praedictae, & eorum quilibet tibi realiter, & cum effectu traditi, seu consignati fuerint, ab Excommunicationis, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & poenis, quas propterea incurrerunt, auctoritate nostra in forma Ecclesiae consueta absolvendi, & liberandi, plenam, & amplam facultatem eadem auctoritate tenore presentium concedimus, & impertimur.

Contraria tollit.

§.3. Non obstantibus apostolicis, ac in universalibus, Provincialibusque, & Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, ac dictorum Regnorum etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, Indultis, & Literis Apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores presentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub Anulo Piscatoris die 16. Decembris 1641. Pontificatus nostri Anno XIX.

Datum die 16. Decemb. 1641. An. XIX.

DCXCI.

Declaratio, & moderatio facultatum Eminentissimorum, & Reverendissimorum DD. Card. Archiepiscoporum, ac Protectorum, & Titularium Ecclesiarum, & locorum piorum Urbis.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ad perpetuam rei memoriam.

Quamvis Romani Pontifices Praedecessores nostri eorum motu proprio, certa scientia, ac matura deliberatione, deque apostolicae potestatis plenitudine, concesserint S. R. E. Cardinalibus Archiepiscopis Ecclesiarum, seu Basilicarum, S. Joannis in Laterano, S. Petri, & S. Mariae Majoris de Urbe facultatem per se ipsos, suosque Vicarios, & Judices cognoscendi, & terminandi omnes, & singulas causas, ac lites, tam active, quam passive motas, & movendas, inter ipsas Basilicas, earumque Capitula, Canonicos, Beneficiarios, Clericos, Cappellanos, aliosque eis inservientes ex una, ne a servitio Basilicarum hujusmodi retraherentur, & quof-

Exordium.

quoscumque alios ex altera partibus private quoad Vicarium, aliosque Judices Urbis, etiam si ageretur de obligationibus Cameralibus, & aliis, prout in eorum literis, & motibus propriis uberius continetur.

Causae hujusmodi.

§.1. Nihilominus, ut acceperamus, praetextu praedictarum facultatum, ac privilegiorum in eis contentorum, ipsisque Basilicis, ac illis inservientibus concessorum quidam abusus, etiam tempore Praedecessorum nostrorum irrepressant, in aliorum Tribunalium, & colligantium praedictorum: Idcirco Congregatio Praelatorum alias a Nobis super inhibitionibus, & non gravetur, cursum iustitiae impediens deputatorum ad tollendos, & evitandos eosdem, aliosque abusus decrevit, quod iidem Cardinales praedictarum Basilicarum Archiepiscopi, eorumque Vicarii non concederent inhibitiones generales, sed particulares tantummodo citata parte, & juxta terminos earumdem facultatum, & privilegiorum dumtaxat, & aliis concessis non servarentur, libereque eis non obstantibus, fieri posset exequutio, quodque emphyteuta, inquilini, coloni, afflictuarii, & conductores non gauderent privilegiis praedictis, nisi quando ageretur de interesse Ecclesiae, & Ecclesia esset in causa. Cumque postmodum experientia rerum magistra compertum fuerit, Nobisque, etiam pluribus, occasione Signaturae Gratiae innovaret, ex observantia facultatum, & privilegiorum praedictorum alia Urbis Tribunalia impediri, ac colligantibus detrimentum fieri, quando non agitur de bonis, juribus, seu redditibus ipsarum Basilicarum, vel quando Canonici, Beneficiarii, Clerici, Capellani, aut alii eisdem Basilicis inservientes sunt actores.

Declaratio, ac moderatio facultatum DD. Archiepiscoporum, ac Protectorum, ac Titularium Ecclesiarum Urbis.

§.2. Propterea volentes iustitiam aequa lance omnibus ministrari, motu proprio, certa scientia, ac matura deliberatione nostris, deque apostolica potestatis plenitudine, hac nostra Constitutione, perpetua, nedum decreta praedictae Congregationis confirmamus, & approbamus, suppletentes omnes, & singulos defectus, etiam substantialia, si qui in eis quomodolibet intervenerint, seu intervenisse dici possint, sed etiam statuimus, & ordinamus, quod quando agitur de bonis, juribus, seu exigendi redditibus ipsarum Basilicarum, sive Praebendarum, Cappellanarum, beneficiorum, administrationum, officiorum, seu onerum in praedictis Basilicis existentium, tunc active agendum sit coram eisdem Cardinalibus Archiepiscopis, sive eorum Vicariis, vel Judicibus per eosdem Cardinales deputatis, & pro tempore deputandis; quando autem agitur de aliis bonis, rebus, vel juribus quibuscumque, tunc si Canonici, Beneficiarii, Clerici, Capellani, aliique ipsi Basilicis inservientes erunt rei, pariter conveniri debeant coram eisdem Cardinalibus Archiepiscopis, sive eorum Vicariis, vel Judicibus praedictis, etiam si convenirentur vigore obliga-

tionis Cameralis: si vero fuerint actores, tunc praedictis privilegiis non gauderent, nec possint reos ad forum Cardinalium, Archiepiscoporum quoquomodo trahere. Ac insuper, quia ex facultatibus etiam motu, scientia, deliberatione, & potestate paribus, quacumque de causa quantumlibet favorabili, & pia, ac aliis quomodolibet concessis ejusdem Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalibus Monasteriorum Monialium, Ecclesiarum, etiam Collegiarum, Collegiorum, Hospitalium, Confraternitatum, Archiconfraternitatum, seu quorumcumque aliorum locorum piorum de Urbe, illorumque bonorum, rerum, & personarum quarumcumque apud Nos, & Sedem Apostolicam Protectoribus, sive ipsarum Ecclesiarum Titularibus similia impedimenta, damna, & praedicta nasci, & emergere nedum accepimus, sed etiam comperimus, propterea praefatas ordinationes, & statuta quoad facultates dictorum Cardinalium Archiepiscoporum, ut praemittitur, factas, & factas, in futurum, etiam quoad praedictos Cardinales Protectores, & Monasteria Monialium, Ecclesias, etiam Collegiatas, Collegia, Hospitalia, Confraternitates, Archiconfraternitates, aliaeque loca pia de Urbe praedicta, eorumque bona, res, & personas quaslibet ipsis Cardinalibus tam ratione protectionis, quam ratione tituli, ac alias quovis nomine nunc, & pro tempore per Nos, & Romanos Pontifices etiam Successores nostros commissas, & commissa perpetuo in omnibus, & per omnia inviolabiliter observari volumus, & mandamus.

Causas praeservatas apostolicas.

§.3. Praesentes quoque literas, ac omnia, & singula in eis contenta, etiam si Cardinales Archiepiscopi, & Protectores, aliaeque personae praedictae, & ceteri quicumque in praemissis interesse habentes, aut habere quomodolibet praetendentes, illis non consenserint, nec ad ea vocati, citati, & auditi, minusque causa propter quas praesentes emanarunt adductae, aut sufficienter, vel etiam nulla tenus iustificatae fuerint nullo unquam tempore de subreptionis, obreptionis, nullitatis, aut invaliditatis vitio, intentionis nostrae, aut alio quovis defectu, etiam quantumvis magno, inexcogitato, & substantiali, sive etiam ex eo, quod in praemissis, seu eorum aliquo solemnitate, & quavis alia servanda, & adimplenda, servata, & adimpleta non fuerint; aut ex quovis alio capite a jure, vel facto; aut statuto, vel consuetudine aliqua resultante, seu etiam enormis, enormissimae, & totalis laesionis, aut quocumque alio colore, etiam in corpore juris clauso, seu occasione, vel causa, etiam quantumvis iusta, rationabili, & privilegiata, & tali, quae ad effectum validitatis praemissorum necessario exprimenda foret, aut quod de voluntate nostra hujusmodi, & aliis superius expressis, seu relatis, nihil ullibi appareret, seu aliter probari posset, notari, impugnari, invalidati,

lidari, retractari, in jus, vel controversiam revocari, aut ad terminos juris reduci, vel adversus illas restitutionis in integrum, aperiitionis oris, reductionis ad viam, & terminos juris, aut aliud quodcumque juris, facti, gratia, vel iustitia remedium impetrari, seu quomodolibet concedi, aut impetrato, vel concessio quempiam uti, seu se juvare in iudicio, vel extra posse, neque ipsas presentes sub quibusvis similibus, vel dissimilibus gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, aut aliis contrariis dispositionibus, pro tempore quomodolibet facien. comprehendendi, sed semper ab illis exceptas, perpetuoque validas, firmas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus fortiri, & obtinere, ac per omnes, & singulos, ad quos spectat, & quomodolibet spectabit inviolabiliter observari.

Clausula sublata.

§.4. Sicque, & non aliter in praemissis omnibus, & singulis per quoscumque iudices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac praedictos, aliosque Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales, etiam de Latere Legatos, & alios quavis auctoritate, & potestate fungentes in quavis causa, & instantia sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate iudicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari decernimus.

Clausula derogatoria.

§.5. Non obstantibus praemissis, ac quatenus opus sit, regula nostra de iure quaesito non tollendo, & quibusvis aliis Cancellariae Apostolicae Regulis, ac praemem. Pii Papae IV. etiam praedecessoris nostri de gratiis quaecumque interesse Camerae Apostolicae concernentibus infra certum tunc expressum tempus in ea praesentandis, insinuandis, & registrandis, ac quibusvis aliis Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac etiam, quatenus opus sit, ipsarum Ecclesiarum, seu Basilicarum, Monasteriorum, Collegiorum, Confraternitatum, Archiconfraternitatum, Hospitalium, & aliorum locorum piorum praedictorum, etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis ipsis Ecclesiis, seu Basilicis, illarumque Cardinalibus Archiepiscopis, sive eorum Vicariis, ac Monasteriis, Collegiis, Confraternitatibus, Archiconfraternitatibus, Hospitalibus, & aliis locis piis praefatis, necnon eisdem Cardinalibus, Monasteriorum, Ecclesiarum, aliorumque piorum locorum praedictorum Protectoribus, & aliis personis praedictis, sub quibusvis verborum tenore, & formis, ac cum quibusvis, etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, irritantibusque, & aliis decretis, in genere,

vel in specie, ac alias in contrarium quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum omnium, & singulorum tenores, etiam majores, & veriores praesentibus pro plene, & sufficienter expressis, & ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permanentibus, ad praemissorum effectum specialiter, & expresse derogamus, ac derogatum esse volumus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die 23. Decembris 1641. Pontificatus nostri Anno Decimonono.

Datum die 23. Decemb. 1641. An. XIX.

DCXCII.

Fratribus Minoribus Ordinis S. Francisci de observantia, & Reformatis Regni Franciae eque jus tribuitur laicos ad Tertiiorum habitum admittendi.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ad futuram rei memoriam.

Alias per tunc existentem Tertii Ordinis S. Francisci de Penitentia reformatorum nuncupatorum Regni Franciae Procuratorem Generalem se. re. Paulo PP. V. Praedecessori nostro exposito, quod quondam Joannes del Hierre Ordinis Fratrum minorum S. Francisci de observantia, etiam nuncupat. dum viveret Minister Generalis, habita notitia, quod nonnullae summa pietate fulgentes personae in Regno Franciae existerent, quae ad imitationem S. Ludovici, & S. Iyonis ejusdem Nationis ad tertiam Regulam S. Francisci pro secularibus a re. me. Nicolao PP. IV., etiam Praedecessore nostro editam recipi desiderabant, dictus Joannes Minister Generalis piis illorum votis volens annuere, ex indulto sibi a Sede Apostolica concessio per suas patentes Literas plenariam, & omnimodam potestatem Provinciali, omnibusque Guardianis domorum Fratrum dicti Tertii Ordinis S. Francisci Reformatorum ejusdem Regni Franciae concesserat, ut quascumque utriusque sexus personas ad observationem Regulae dicti Nicolai Praedecessoris, juxta ejusdem Ordinis statuta, recipere, vestire, regere, & congregare libere, & licite possent, & valerent, & si eatenus aliqua a dictis Fratribus facta fuissent receptiones hujusmodi personarum, tamquam validas confirmaverat, & approbaverat, ac insuper Provinciali, & Guardianis praedictis potestatem plenam concesserat, ut quibuscumque personis de sua Congregatione benemeritis, quae ipsius bonorum spiritualium omnium participes fieri desiderabant, literas filiationis nuncupatas impendere possent; prohibueratque etiam Fratribus dicti Ordinis S. Francisci de observantia, ne quempiam habitu Tertiiorum, absque dicti Provincialis consensu, vestirent, vel eos recipere-

rent, sed tantum liceret eidem Provinciali, & superioribus praedictis eosdem vestire, & recipere; Idem Paulus Praedecessor supplicationibus ejusdem Procuratoris Generalis sibi desuper porrectis inclinatus, praedictas concessiones, & desuper expeditas literas patentes dicti Joannis Ministri Generalis confirmavit, ac tunc, & pro tempore existentibus Provinciali omnibusque Guardianis domorum Fratrum dicti Tertii Ordinis S. Francisci Reformatorum ejusdem Regni Franciae, ut quascumque utriusque sexus personas ad observationem regulae per dictum Nicolaum Praedecessorem, ut praefertur, editae juxta statuta praedicta recipere, & ad habitum in dicta Regula descriptum admittere, & personae sic admittende omnibus, & singulis privilegiis, libertatibus, immunitatibus, exemptionibus, indultis, & gratiis, quibus in aliis Regnis, & Provinciis ad habitum hujusmodi admitti de jure, usu, consuetudine, aut alias quomodolibet utebantur, potiebantur, & gaudere poterant quomodolibet in futurum similiter, & pariformiter, quoad exemptionem tantum juxta praescriptum Lateranensis Concilii ultimo loco celebrati, uti, potiri, & gaudere, libere, & licite possent, & valerent concessit, & alias prout in ejusdem Pauli Praedecessoris in simili forma Brevis die decimaquarta Martii 1613. desuper expeditis literis, quarum tenores, praesentibus pro sufficienter expressis, & insertis haberi volumus uberius continetur.

Frates de Observ. exponunt hujusmodi Tertiarios sibi subiectos.

§.2. Cum autem, sicut Nobis nuper pro parte dilectorum filiorum Ignatii le Gault Commissarii Generalis, ac Ministrorum Provincialium, aliorumque fratrum minorum dicti Ordinis S. Francisci de Observantia ejusdem Regni Franciae expositum fuit, jam inde ab exordio dicti Ordinis S. Francisci nunquam dubitatum, vel controversum fuerit, quin fratres ejusdem Ordinis Sancti Francisci de observantia jus, potestatem, & usum dandi personis secularibus habitum dicti Tertii Ordinis a Sancto Francisco instituti, eorumque curam spirituales gerendi habuerint, quinimo ipsi fratres dicti Tertii Ordinis in communi viventes, & in Regno praedicto existentes Ministro, necnon Commissario in eodem Regno Generalibus ejusdem Ordinis S. Francisci de observantia subint, Paulique Praedecessoris hujusmodi litera Fratribus Minoribus praedictis, neque citatis, neque auditis emanaverint; Nobis propterea pro eorumdem Commissarii Generalis, ac Ministrorum Provincialium, & Fratrum praedictorum parte fuit humiliter supplicatum, ut in praemissis opportune pro-

videre de benignitate apost. dignaremur. §.3. Nos igitur Exponentes praedictos specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & poenis a Jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, per primodictas Pauli Praedecessoris praedicti literas non fuisse, nec esse sublata Fratribus Minoribus dicti Ordinis Sancti Francisci tam de observantia, quam Reformatis, seu Recollectis ejusdem Regni Franciae jus, & facultatem quibus hucusque usi sunt tradendi, & exhibendi personis in seculo viventibus habitum Tertiiorum hujusmodi apostolica auctoritate, tenore praesentium declaramus, & quatenus opus foret, iisdem Fratribus Minoribus jus, & facultatem hujusmodi confirmamus.

Urbanus delectat per Pauli V. Literas nullius in jure fuisse derogatum.

§.4. Sicque per quoscumque Iudices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores iudicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari decernimus.

Clausulas addit.

§.5. Non obstantibus praedictis Pauli Praedecessoris praedicti literis, aliisque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon Ordinum praedictorum, etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores, praesentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permanentibus ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Obstantibus derogat.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo &c. die 25. Jan. 1642. Pont. nostri An. XIX.

Datum die 25. Jan. 1642. An. XIX.

DCXCIII.

Prohibitio ne in Ecclesiis Civitatis, & Diocesis Hispaniae fumatur Tabaccum.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ad futuram rei memoriam.

Cum Ecclesiae Divino cultui dicatae Domus sint orationis, easque propterea omnis sanctitudo deceat, merito Nos, quibus cunctarum per Orbem universum Ecclesiarum cura a Deo commissa est, advigilare convenit, ut ab eisdem Ecclesiis quicumque actus profani, & indecentes procul arceantur; Itaque cum sicuti pro parte dile-

Exordium.

dilectorum filiorum Decani, & Capituli Ecclesie Metropolitanæ Hispaniæ. Nobis nuper expositum fuit, pravus in illis partibus fumendi ore, vel naribus Tabaccum vulgo nuncupatum usus adeo invaluerit, ut utriusque sexus personæ, ac etiam Sacerdotes, & Clerici tam seculares, quam regulares clericalis honestatis immemores, illud passim in Civitatibus, & Diocesis Hispaniæ Ecclesiis, ac quod referre pudet, etiam sacrosanctum Missæ sacrificium celebrando sumere, linteaque sacra foedis, quæ Tabaccum huiusmodi proicit excrementis conspurcare, Ecclesiæque prædictas tetro odore inficere magno cum proborum scandalo, rerumque sacrarum irreverentia non reformident.

§.1. Hinc est, quod Nos, ut abusus tam scandalosus ab Ecclesiis huiusmodi prorsus eliminetur, pro pastoralis nostræ sollicitudine providere, ac Decanum, & Capitulum præfatos specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & poenis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innotata existunt, ad effectum præsentium, dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutos fore censentes, supplicationibus ipsorum Decani, & Capituli Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, omnibus, & singulis, utriusque sexus personis, tam secularibus, quam ecclesiasticis, etiam cuiusvis Ordinis, instituti, ac Militiarum, etiam Hospitalis S. Joannis Hierosolymitani, regularibus quomodolibet qualificatis, & quantumbet privilegiatis, & exemptis, etiam speciali nota, & expressione dignis, ne de cetero in quibusvis Civitatibus, & Diocesis prædictarum Ecclesiis, earumque atriis, & ambitu Tabaccum, sive solidum, vel in frusta concisum, aut in pulverem redactum ore, vel naribus, aut fumo per tubulos, & alias quomodolibet sumere audeant, vel præsumant sub excommunicationis læte sententiæ eo ipso absque aliqua declaratione per contrafacientes incurrere poena, auctoritate apostolica tenore præsentium interdicimus, & prohibemus.

§.2. Quocirca Venerabili Fratri Archiepiscopo Damiaten. moderno, & pro tempore existenti nostro, & Apostolicæ Sedis in Regnis Hispaniarum Nuncio per presentes committimus, & mandamus quatenus per se, vel alium, seu alios presentes literas, & in eis contenta quæcumque, ubi & quando opus fuerit, solemniter publicans, faciat illas, & in eis contenta huiusmodi ab omnibus, ad quos spectat inviolabiliter observari; contraditores quoslibet, & rebelles, ac prohibitioni huiusmodi non parentes per censuras, & poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna juris, & facti remedia, appellacione postposita compescendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis.

Usus Tabacæ in Ecclesiis prohibet Pont. sub excommunicationis læte sententiæ poena.

Executores deputat.

§.3. Non obstantibus felicis recordationis Bonifacii Papæ Octavi Prædecessoris nostri de una, & in Concilio generali edita de duabus dietis, dummodo ultra tres dietas aliquis auctoritate præsentium in iudicium non trahatur, aliisque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, etiam Conciliaribus, necnon Ecclesiarum prædictarum, ac quorumvis Ordinum, Congregationum, & Institutuum regularium, ac Militiarum, etiam Hospitalis Sancti Joannis Hierosolymitani, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate roboratis statutis, & consuetudinibus, stabilimentis, usibus, & naturis, ac ordinationibus capitularibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis, in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illarum tenores, præsentibus pro plene, & sufficienter expressis habentes, illis aliis in suo robore permanentibus, ad præmissorum effectum specialiter, & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque. Aut si aliquibus, vel alicui conjunctim, vel divisim sit ab eadem Sede indultum, quod excommunicari, suspendi, vel interdicti non possint per literas non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

§.4. Volumus autem, ut præsentium transumptis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo alicujus personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus adhibeatur fides, quæ præsentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Petrum sub Anulo Piscatoris die 30. Januarii 1642. Pontificatus nostri, Anno XIX.

DCXCIV.

Declaratio circa exactiorem Collegio Subdiaconorum Sedis Apostolicæ assignatæ ratione provisionum Ecclesiarum Pallii insignitarum.

URBANUS PAPA OCTAVUS
Ad perpetuam rei memoriam.

§.1. **D**udum felicis recordationis Sixtus Papa V. prædecessor noster, ex certis tunc rationabilibus causis adductis, & abusibus, & scandalis, quæ circa exactiorem taxæ emolumentorum ratione Ecclesiarum Pallii insignitarum Collegio Subdiaconorum Apostolicorum de numero participantium debitorum irreferant, cum interdum emolumenta ipsa iidem Subdiaconi, etiam per retentionem Palliorum perciperent, opportunum remedium adhibere volens, sub datum videlicet Nonis Decembris Pontificatus sui Anno Secundo, Motu suo proprio per eum habita consideratione, quod Romani Pontifices taxas, & emolumenta huiusmodi, tamquam primitias fructuum inferioris Ecclesiæ vacantis pro stipendiis officium

Derogat contrariis.

Transumptis eandem fides.

Datum die 30. Januarii 1642. An. XIX.

Sixtus V. volens circa taxam, de qua in Rubr.

ium Sedis Apostolicæ, & conservatione universalis Ecclesiæ militantis assignaverant, tunc, & pro tempore existentibus Subdiaconis prædictis, quod de quarumcumque Ecclesiarum Patriarchalium, & Metropolitanarum, vel aliis de jure, consuetudine, aut privilegio Pallii huiusmodi insignitarum, etiam titularium, etiam in partibus infidelium existentium fructibus, in literis super earum provisionibus impostorum conficiendis, expressis, & taxatis, quinque florenorum auri pro quolibet centenario ipsos Subdiaconos de numero participantium tantum, juxta eorum constitutiones, seu consuetudines dividendos, & distribuendos, ceteraque jura, & emolumenta percipere, & exigere libere, & licite possent, plenam, & liberam licentiam, & facultatem apostolicam auctoritate perpetuo concessit, ac tunc, & pro tempore existentibus plumbi Collectoribus, seu Plumbatoribus Apostolicis, sub ducentorum ducatorum ipsis Subdiaconis pro una, & pro altera medietatibus piis locis arbitrio suo applicandorum poena commisit, & mandavit, ne postea literas quasumque super huiusmodi Ecclesiis expeditas, vel expediendas plumbarent, aut plumbatas partibus restituerent, nec restitui permitterent, nisi prius de summa singulorum quinque florenorum pro quolibet centenario huiusmodi eidem Subdiaconis foret integre satisfactum, & de satisfactione constaret per chirographum Receptoris dictorum Subdiaconorum, sive eorum Decani, vel Prodecani manu signatum, vel per appositionem manus ejusdem in literis præfatis loco congruo, ad instar cæterorum officialium similes taxas habentium, & exigentium.

§.2. Voluit autem dictus Sixtus Prædecessor, & districtus prohibendo mandavit, ne ipsi Subdiaconi ultra dictam taxam pro sustentatione, ac dote dictorum Officialium percipi solitam, ceteraque jura, & emolumenta consueta prædicta, quicquam aliud pro ipso Pallio, neque ratione confessionis, benedictionis, sive traditionis ejusdem exigere, aut accipere, sub quingentorum ducatorum ipsis Ecclesiis, a quibus accepissent, pro una, & pro altera medietatibus, locis piis arbitrio pro tempore existentis Romani Pontificis applicandorum poena auderent, seu præsumerent, & aliis, prout in cedula motus proprii ejusdem Sixti prædecessoris, sub Datum nonis Decembris, Pontificatus sui anno secundo, & in Literis Apostolicis desuper per piæ me: Gregorium XIV. etiam prædecessorem nostrum, cum ipse Sixtus antequam ejus litera desuper conficerentur, sicut Domino placuit, rebus fuerit humanis exemptus, confectis plenius continetur.

§.3. Cum autem sicut Nobis nuper innotuit, etiam post literas huiusmodi antiqui perduraverint, vel novi abusus circa exactiorem taxæ præfate Subdiaconorum, & forsitan peiores prioribus irreferant, &

Mihilomin. no. viabus circa taxam præfate exactiorem sunt etc.

propterea officii nostri partes esse existimemus huiusmodi abusus, ne ulterius etiam cum non modico fidelium scandalo serpent, opportunum remedium adhibere, Motu proprio, non ad alicujus Nobis desuper oblata petitionis instantiam, sed ex certa scientia, meraque deliberatione nostris, ac de apostolicæ potestatis plenitudine, ex voto etiam Congregationis quorundam Prælatorum, per nos desuper ad id in specie deputatorum, eandem cedula Sixti, & literas Gregorii prædecessorum prædictorum, hac nostra Constitutione perpetua, ut infra declaramus, & ab omnibus deinceps inconcussè observari mandamus, videlicet.

§.4. Quod Subdiaconi præfati nunc, & pro tempore existentes non solum sub eisdem poenis inflitis & cominatis, sed etiam sub excommunicationis majoris læte sententiæ, & privationis Subdiaconatum, & aliorum per eos obtentorum, officiorum, & beneficiorum ecclesiasticorum quorumlibet ipso facto, absque alia declaratione, & citatione incurrendis, & aliis arbitrio Romani Pontificis pro tempore infligendis poenis taxam ad rationem quinque florenorum pro quolibet centenario eis, ut præfertur, alligatam in tot ducatis auri de Camera, prout alii Officiales Cancellariæ, & Camera Apostolicarum participantibus earum ratas respective recipiunt, & exigunt, & non quidem pro ipso Pallio, seu occasione Pallii, vel ratione confessionis, benedictionis, propositionis, sive traditionis ejusdem Pallii, sed dumtaxat, ut præfertur in actu expeditionis Literarum Apostolicarum super provisionibus Ecclesiarum Pallii insignitarum, licet ante, vel post traditionem ipsius Pallii expediantur, & quod eas, quæ in partibus infidelium consistunt, & nullos redditus habent, nihil omnino; quo vero ad eas, quæ in distis infidelium partibus consistunt, & aliquos redditus habent, ad ratam quantitatis reddituum, & quoad eas, quarum taxæ per speciale mandatum Romani Pontificis, pro tempore existentis perpetuo, vel ad tempus ad minorem summam reducuntur juxta reductionem, & quoad numeros, qui ad centum non ascendunt, ad taxam numerorum huiusmodi respective dumtaxat, & nihil ulterius, etiam a sponte dantibus, & offerentibus exigant, & recipiant, aut exigere, & recipere præsumant, & ad hunc effectum pro perpetua, & inconcussa præsentium, & contentorum in eis observatione commisionem, & mandatum Plumbi Collectoribus, sive Plumbatoribus, necnon prohibitionem dictis Subdiaconis per distas cedulas Sixti, & literas Gregorii prædecessorum, ut supra factam, poenasque in eis contentas, ad quarum exactiorem manu regia, & via exequutiva, nulla prævia citatione procedi posse volumus, per eandem presentes innovamus.

§.5. Decernentes easdem presentes de subreptionis, vel obreptionis vitio, aut

Quibus remedium adhibet Pont. hæc sua Const.

Classis præservative.

R r

inten-

Bull. Rom. Tom. VI. Par. II.

intentionis nostrae, vel quopiam alio defectu, notari, vel impugnari, aut ad viam, & terminos juris reduci, seu adversus illas quodcumque juris, gratiae, vel facti remedium impetrari numquam posse.

Clausula sub-
lata.

§.6. Sicque, & non alias per quoscumque Judices ordinarios, vel delegatos quavis auctoritate fungentes, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, etiam de latere Legatos, & Vice-Legatos, disteque Sedis Nuncios, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate iudicari, & definiri debere, irritumque, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contrarius de-
rogat.

§.7. Non obstantibus praemissis, ac quatenus opus sit nostra regula de non tollendo jure quaesito, & aliis Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac Collegij Subdiaconorum hujusmodi, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel alia quavis firmitate roboratis statutis, & consuetudinibus, etiam antiquissimis, privilegiis quoque, indultis, & Litteris Apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis, necnon aliis, quae idem Sixtus, & Gregorius praedecessores praefati voluerunt non obitare, Quibus omnibus, & singulis, etiam si de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, & expressa, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quavis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, eorum tenores praesentibus pro plene, & sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permanentibus latissime, ac plenissime ad effectum praemissorum specialiter, & expresse harum serie derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum die 8.
Februarii 1642.
AN. XIX.

Datum Romae apud S. Petrum, sub anulo Piscatoris, die 7. Februarii 1642. Pontificatus nostri Anno decimonono.

DCXCV.

Ex Reges. in
Secret. Breve.

Confirmantur nonnulla antiqua Decreta, & statuta a Notariis Auditoris Camerae, pro bono gubernio Tribunalis dicti A. C. & substitutorum renovata.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ad futuram rei memoriam.

Notarii quaedam
antiqua statuta
renovant, &
jurisdictionem
manent.

§.1. Exponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii Notarii Tribunalis Curiae causarum Camerae Apostolicae generalis Auditoris, quod ipsi pro felici dicti Tribunalis, suorumque juvenum, & substitutorum gubernio, atque etiam pro bono publico cum interventu, & praesentia ipsius Camerae Apostolicae generalis Auditoris nonnulla decreta, & statuta antiqua re-

novarunt, ampliarent, & inter se medio Juramento stabiliverunt tenoris subsequents videlicet.

Die Jovis 5. Mensis Decembris 1641.

Fuit habita Congregatio in Palatio Illustrissimi, & Reverendissimi Domini Octaviani Raggi A. C. & coram Dominatione sua Illustrissima, ac per Illustre, & Reverendo Domino Antonio Francisco Ruberto ejus Auditore heri pro hodie intimat. in qua interfuerunt infra scripti.

Referuntur hu-
jusmodi Statu-
ta.

DD. Sanctes Floridus Decanus, Augustinus Thuclus, Gaspar Columna, Adrianus Gallus, Franciscus Jacobus Belgius, Dominicus Burattus, Alexius Christofomus, Sebastianus Pasquetus, Antonius Raynaldus, & in eadem Congregatione fuit propositum per Dominum Sanctem Floridum Decanum, quod in Collegio Notariorum A. C. ab antiquissimo tempore fuit pluries decretum, quod sine licentia Congregationis Notariorum substituti, & alii Juvenes recedentes ab aliquo officio non recipiantur ad servitia alterius Notarii, nisi servatis certis conditionibus in dictis decretis expressis, & contentis, quae quidem decreta habentur in priori libro rubeo fol. 32. & folio 200. & in libro 2. rubeo sub fol. 1. & 41. Verum quia dicta decreta, vel propter injuriam Notariorum, vel aliis de causis non observantur ad unguem, & multum expedit, tam pro publica utilitate, quam pro bono regimine dicti Collegii, ut illa, & illorum ampliationes, & extensiones ferventur.

Idcirco instetit Dominationi suae Illustrissima pro innovatione, & confirmatione dictorum decretorum, & illorum extensione, innovatione, & ampliatione. Qua propositione audita dictus Illustrissimus Dominus Auditor Camerae mandavit legi dicta decreta, ac illarum innovationes, & extensiones, prout alta, & intelligibili voce lecta fuerunt, quibus perlectis, & bene consideratis, fuerunt per Dominationem suam Illustrissimam dicta decreta, cum omnibus suis ampliationibus innovata, & confirmata, annuentibus, & consentientibus omnibus supradictis Notariis sub poenis in illis contentis, & aliis Dominationi suae Illustrissimae, & aliis A. C. pro tempore existentibus benevisis, ac propterea mandavit, praedictos Notarios praesentes dictae Congregationi jurare super observatione dictorum decretorum, & illorum ampliatione, & extensione, & dictum Juramentum in manibus Dominationis suae Illustrissimae praestari perpetuo tactis & c. jurarunt, & praestaverunt & c. Quoad absentes vero mandavit eidem Domino Decano, quod intra triduum recipere debeat simile juramentum de observandis dictis decretis, & dicti Juramenti Instrumentum confici, & haec omnia in libro decretorum Tribunalis registrari mandavit. Praesentibus in Palatio supradicto positum in Platea Capranica, & coram Dominatione sua Illu-

Illustrissima infra scriptis Testibus: Illustrissimo, & Excellentissimo Domino, Jacobo Angelutio Filio quondam Simonis Desduefia Spoletane Dicecesis, & Illustrissimo, & excellentissimo Domino Juliano Laureto Filio quondam Francisci Sabino & c. Tenor vero supradictorum decretorum est infra scriptus.

Decretum, quod sine licentia nostrae Congregationis Substituti, & alii Juvenes non recipiantur.

Collegium Notariorum A. C. auditis non sine maxima molestia in diversis suis Congregationibus, variisque querelis propositis in Substitutis, & Juvenes quosdam in nostris Officiis inservientes, & cognitit ab experto ipsarum querelarum eventibus qui fuerint, & quale praedictum intulerint, & de praesenti respective inferant nendum Antecessoribus nostris, sed & aliis, nobisque, & universo tribunali nostro, & cognito etiam, quod malorum omnium radix, & multorum irreverentia, & inobedientia erga Dominos, nonnullorumque aliorum ex nimia lucri cupiditate, aliorumque modica negligentia, & mala vivendi prava consuetudine, aut ex eorum malis moribus, & licentiosa vita ortum habuit.

Volensque, quoniam unusquisque rerum suarum est moderator, & arbiter, praecavere, ne in similia vel forsitan majora iidem, & alii pro tempore existentes in nostris officiis prolabantur, & in tam grandi familia, quae fere numerum centum, & quinquaginta personarum superat remedia adhibere opportuna, qualia experientia ipsa, tamquam rerum magistra docuit, ipsamque familiam Deo adjuvante reformare, aliaque bene, & recte instituire, ad suam, & communem omnium aliorum utilitatem.

Ex praedictis igitur, & aliis iustis, & rationabilibus causis, re prius in pluribus Congregationibus mature discussa innovavit decretum ejusdem Collegii antequam de substitutis disponens de quo in praecedenti libro, rubeo appellat. fol. 200. habetur, & illius ampliationem in eodem lib. fol. 32. a nostris Antecessoribus provide factam. Et illis salvis decrevit, quod occurrente infaturum aliquando recessu alicujus ex substitutis, & aliis Juvenibus, ex aliquo officiorum nostrorum servari debeat sine difficultate, & contradictione aliqua nendum dispositio dicti statuti, & illius confirmationis, sive ampliationis praedictae, verum etiam antequam recipiatur in aliquo officio proponi a Notario debeat, a quo recessit tamquam de illius vita, & moribus informato in plena ipsius Collegii Congregatione, si ille ad Tribunal redire voluerit causam talis recessus, ut Congregatio ipsa illum cognoscat, & declaret, etiam bene vel male meritum de ipso tribunali, & an in eo de novo sit ille admittendus, vel non, & sine Congregatione praedicta, & licentia integra Congregationis recipi ab aliis non possit, & ita perpetuo statuit, decrevit, & Bull. Rom. Tom. VI. Par. II.

observare promisit, & juravit sub poenis in antiquis statutis expressis, & contra illos privationis mensariatus, & conclavistatus aliorumque officiorum ipsius Collegii usquequo paruerint.

Datum in plena Congregatione habita in Domo Domini Ovidii Erasmi nostri Connotarii, ac moderni Mensarii, & Decani die 3. Aprilis 1587.

Ovidius Erasmus mensarius, & Decanus, Joannes Jacobus de Fabiis Notarius, Franciscus Masinus Notarius, Marcus Antonius Brutus Notarius, Scipio Grimaldus Notarius, Joannes Carpanus Notarius, Hieronimus Fabirus Notarius, Joannes Franciscus Ugolinus Notarius, Mauritius Buccarinus Notarius, Guidus Argenti Notarius.

Tenor vero Decreti antiqui disponens de substitutis, de quo in lib. rubeo appellato sub fol. 200. talis est videlicet.

De Substitutis.

Aliquis Notarius, de copistis, & substitutis alterius se non impediatur illos avertendo a servitiis ejus, cum quo stant, & alliciendo ad servitia sua, nec recipiendo illos ad se, si non decesserint a Notario, ad cujus servitia fuerunt prius cum bona licentia, vel saltem steterint per unum annum extra Tribunal. Et si contigat aliquem Notarium contravenire praesenti statuto in substituto privetur turno ordinariarum Commissionum, si in Copista privetur turno appellationis ordinariarum per sex menses, & nihilominus teneatur dimittere talem Copistam, vel substitutum ab ejus officio, & si requisitus non expulserit privetur, & ex tunc privatus existat omnibus turnis per annum, & Mensarii pro tempore distribuentes talibus commissionem aliquam suo salario privati existant, & crescat poena tam ipsius mensarii, quam dicti Notarii contrafacientis pro contumacia, quam fieri contingat, arbitrio sociorum.

Die 15. Octobris 1641.

Fuit habita Congregatio in Domo Domini Sanctis Floridi Decani heri, pro hodie intimata, in qua interfuerunt omnes praeter DD. Fontiam, & Gallum ab Urbe absentes, & in ea fuit collegialiter resolutum decretum, & statutum ut infra videlicet.

Quoniam experientia compertum est quod nonnulli Juvenes, & substituti Tribunalis nostri parum, aut nihil curantes motiones, & praecipua Dominorum cum quibus degunt, & morantur, etiam illi, qui permanent, ut dicitur, ad rogatus, sine victu, salario, & domicilio, aut alias quomodolibet in longum protrahunt extensiones Instrumentorum, per eos eorum nomine, & in eorum respective officiis regatur, & quotidie excrescit illorum irreverentia, & inobedientia erga eosdem Dominos, quod plerumque accidit, & R 1 2 ori-